DEDICATIO SECUNDA.

Venio nunc ad TE

Nobilissimum Consultissimumque Virum

D. JOH. FRIDERICUM MÄRCKER. J. U. D.

Potentissimi Borussiæ Regis, cæt. Clivopoli in Criminalibus Consiliarium Amplissimum, Collegii Regii rerum Bellic. & Doman. Fiscalem, Urbiumque Clivensium Syndicum Meritissimum, nec non Cancellariæ Advocatum Ordinarium: denique & Causarum Patronum longe felicissimum: cæt.

AD TE, inquam, venio, ut tuo itidem Nomini hanc *Disputationem Inauguralem de Morbis Virginum*, decenter dedicem, tuoque Favore ac Benevolentia fretus in URBE GOCHENSI Praxin Medicam optimo successu, juxta Artis & Experientiæ Præcepta, vigilanter exerceam. Cum enim inter alia SYNDICI Munere ibidem fungaris, spem foveo haud vanam, non defore mihi Amicos ac Fautores, qui de meis Artium salubrium studiis recte sentiant, si tuis elogiis laudari ea & commendari audiant. Nosti utique Medicorum novitiorum fata, nempe quod in principio Praxeos

xeos fere in tenebris commorentur, nisi forte a Patronis, in aliqua Dignitatis luce versantibus, in apricum proferantur: donec ipsi crebris experimentis confirmati celebritate crescentis Famæ Universis innotescant. Fac ergo tuo Favore, ut Ægris non diffidentibus solatio ac saluti esse possim. DEUS TE TUOSque, ad supremam usque senectam, incolumes & bene florentes esse jubeat: in primis Nobilissimo atque unico FILIO tuo, cum Quo mihi quondam Duisburgi, studiis juridicis operato, intimus intercessit familiaritatis & Amicitiæ nunquam violatæ nexus, suo tandem tempore ad Amplissimos Honores viam patefaciat! Vale, Vir Amplissime, & Favoris tui favonio res meas, data quavis occasione, benigno animo fovere & promovere ne dedignator.

DEDICATIO TERTIA.

Denique & ad VOS

Nobilissimi, Prudentissimi, Spectatissimi & Integerrimi Viri, qui Senatum Populumque Gochensem laudabiliter constituitis;

DIssertationis meæ Inauguralis, de quibusdam Virginum morbis, progreditur DEDICATIO: Cum enim non temere aut

cœco impetu, ſed matura ac rationali cum deliberatione, conſilium ceperim, apud VOS & in URBE VESTRA inſtituendi primum Praxeos meæ Medicæ exercitium, utique mente haud dubia præſagio, curas meas & occupationes Bono cum DEO minime carituras eſſe proſpero ſucceſſu, ſed in Ægrotantium querulorum Commoda ceſſuras, modo Favore veſtro ſingulari me ſtudiaque mea complectamini! Quantum in me eſt, pro virili induſtriam omnem impendam, ut Muneris mihi demandati partes, quocunque loco & tempore, circumſpecte & vigilanter adimpleam: Favete ergo, FAUTORES & AMICI, Amico & Medico veſtro! Valete, vivite & florete, DEO Fonti Felicitatis ex animo commendati!

Scrib. Duisb. Cliv., e Muſeo, a. d. 7. Menſis April. Ao. Æræ Chriſtianæ cIƆIƆCCXLII.

Quod ipſum PATRONIS ſuis omnibus & ſingulis religioſa mente ac calentibus votis precatur

PETRUS WILH. SPECKIUS, AUCTOR.

SPECI-